



Universitätsbibliothek Paderborn

**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem& perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Tempus conversationis Apostolicæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54750](#)

gloriam, ac proximorum salutem propagandam
deserviunt] *Hac cogitate & tractate.* Usque
huc aureum Apostoli monitum. Cui subnecto
ea, quæ ad instructionem nostram in ordine ad
discursum cum proximo, narrat Ribad. de S.P.
N. in ejus vita: *Sententiarum erat gravitate ple-
nus, non verborum copiâ, & simplex potius vide-
batur narratio, quam amplificatio ac contentio,
quæ pondus habebant; iis multum inhærebat. Tan-
ta erat in sermone ejus gravitas aceffacia, ut non
tam humana, quam divina haberetur. Pervica-
ces ac ferreos itâ paulatim suo faciebat obedientes
imperio, ut ipsi se, suâque mutationem sâpè mi-
rarentur.*

Tempus conversationis Apostolice.

4to. Circa tempus alloquiorum & visitatio-
num sunt observanda tria.

Primo, Visitationes non debent esse nimis
frequentes, nec nimium protrahi; nam juxta
Greg. *Quod quis amplius in secreto contemplationis
latuit, verbi divini thesauros ad eos, qui se expe-
ctant, ditiones trahit.* Justò crebriùs excurrens
merito judicatur temporis fallendi, aut alterius
sensualitatis gratiâ id facere; maximè, si socium
confidentem quærat. Non tantum falluntur
sæculares, si eos cæteris meliores judicent, qui-
bus pedes continuò ad excurrendum pruriunt;
sed & ipsi, dum magis magisque eos incipiunt
nôsse, errorem suum corrigunt, & sic ex fre-
quentibus alloquiis non aliud reportas præ-
mium,

mium, quām jacturam aut diminutionem authoritatis & famæ, quam alias habebas; præterquam quòd per nimias excursiones tuas sociis crees tedium, & si coadjutores temporales sunt, domui damnum, si scholastici, iis quoad profectum in studiis noceas. Quòd si jam prætereà nimis diu, sive foris, sive domi ad portam, colloquium protrahas: sæpè cum sene illo Eremicola ingeminare debebis: *Quoties inter homines fui, minor redii.* Excident etiam subinde verba improvida, vel saltem nullius ponderis; advertentur mores minùs decentes, aut alii defecctus, & quanquam discretio dicit ac prudenteria, quòd alloquium protrahi debeat cum scrupulis, pusillanimibus, vario agitatis phantasmati, aut alias ob causas longiori instructione indigentibus, maximè mulieribus. Negari tamen non potest, quòd illarum multæ à laudabili Majorum consuetudine deflexerint. Olim DEO devotæ animæ singulis mensibus instructionem aut documentum quoddam circa progressum in virtutibus à Confessariis suis expetebant, & huic domi se continentes insistebant. *Orationi, iuxta S. Hieronymi monitum, succedebat lectio, lectio opus manuale,* & sic dies unus excipiebat alterum. Hæ magna fuerunt plurium Collegiorum Benefactrices: *Circumornata, ut similitudo templi, promptuaria eorum plena, filiae Regum in honore, filia Tyri in muneribus.* Jam nullo nec spirituali, nec temporali emolumento, habentur subinde crebriora & protractiora colloquia cum magna pretiosi temporis jactura.

Diceres modernas præ priscis perfectiores esse,
quia hæ unā in hebdomade Communione con-
tentæ erant; istæ ferè indies confiteri , com-
municare , & præterea alloquio, si Superis pla-
cket , spirituali quotidie cibari volunt. Sed ut ad
fundum veniatur , quæro , an minùs etiam ca-
pitis sui , his , illis passionibus obnoxiae sint ?
Quàm multa facis illata , qua luce purgentur Christ-
ste tuà ! P. Mutius ingenioso sarcasmo litteris
olim Româ datis perstrinxit illos , qui magna ex-
celsoque instituto suo conformia perpetrâsse se
autumant , si horas multas in alloquio fœmina-
rum five domi , five foris insument , & in me-
moriam refricat illud S. P. N. dictum , magis sci-
licet tè pro gloria DEI & animatum salute labo-
râsse , si unum virum , qui familiam exinde
suam in timore Domini educabit , convertas ,
quàm si viginti mulierculis de die in diem devo-
tiunculas , & spiritualia documenta communi-
ces. Ad hæc in protractiore colloquio non sem-
per oratur rosarium , hoc est , è penu spirituali
non semper materia discursum deponit. Nunquid intercurrunt subinde saltem ad profe-
ctum in spiritu non contribuentia ? Vir es , &
non mulier operarie Societatis JESU , & ut
ostendas naturam in te non errâsse , virilis ani-
mus induendus est. Quòd si jam protrahere di-
scursum debes cum fœminis , quia narrant tibi
revelationes , imaginarias visiones suas , & quòd
v. g. sub certis conditionibus redimere possint
animas ex purgatorio , hæc , illa velit fieri Deus ,
hæc , illa ipsæ vel in corpore , vel in anima pa-
tian-

tiantur. Si præterea alia morbum caducum, circumsessionem, infestationem, obfessionem à Dæmone simulare, aut fingere possint, & tu in ejusmodi labyrinthum inconsulto ac protracto sæpiùs colloquio & visitatione te induci sinas; Jam te DEUS adjuvet, & sanctum ejus Evangelium. Superi! quot fraudes ac imposturas contigisse scimus! quæ retia tenduntur ad Confessarium decipiendum, aut etiam ad pervertendum explicato in confessione vel alloquio tentacionum carnalium modo à muliere impudica, cui ad turpaejusmodi vivaciùs phantasie imprimenda malitia acuit ingenium. Hæc nemo melius capiet, quam is, qui multa scit experientiâ sive propriâ, sive aliorum, cum quibus ex officio agere debuit, juniores & inexperti nondum apertum habent oculum S. Antonii, quo vidi retia tot tendi ab illo, qui fuit nequam & latro animarum ab initio, ut vix ex iis se quis extricari posset. Sed macte animo! his non irretitur, qui domi solidè occupatus, & spiritualia non negligens, nec crebriora, nec protractiora amat colloquia, quam vi regulæ fas est, qui sanæ Theologiae, totiesque iteratis Superiorum ordinationibus in impresso ac scripto datis, & cum primis prudentissimæ juxta ac sanctissimæ voluntati S. P. N. Ignatii morem gerit de cauta cum socio ac teste vitæ, quantum possibile est, cum sequiore sexu converlatione. Juvat hic reflectere, quod idem Sanctus occasione, quâ post longum cum devota foemina colloquium ad cubiculum redux exiguum temporis per

per multas horas impensis fructum animadvertisit,
commotus quoque fuerit ad lege stabili præca-
vendum : ne Societas Ordinis sui religiosas ha-
beret , aut etiam aliarum Monialium spiritualem
curam ex introducta aliqua consuetudine , obli-
gatione , vel quasi ex officio in se susciperet.
Hec meditare , & in his esto , ut , cùm omnia
caritatis obsequia omnibus & singulis utriusque
sexus præstare non possis , ea facias , quæ menti
S. Fundatoris , & instituto tuo maximè sunt con-
formia , & hoc tuum inconcussum sit & maneat
principium (O quis mihi det , ut sermones mei
scribantur stylo ferreo , & plumbi lamina , vel celte
sculptantur in silice) ut nullam aliam sub quocun-
que demum proximum juvandi prætextu perfe-
ctionem , quam , quæ ejusmodi est , consecute-
ris . Demum hâc occasione simul noto , quod
in iis , quæ lemures , præstigia , beneficia , ar-
tes magicas , homines à dæmonibus obsessos , &c.
concernunt , cautè quoque , providè , & ex
consilio prudentiorum , imò nonnisi ductu obe-
dientiæ , vel expresso etiam Superiorum manda-
to agendum sit . S. Borgias rescriptis olim Ro-
mâ , nostræ vocationis esse , ut diabolum ex
animabus non corporibus expellamus .

2dō. Opportuno tempore visitationes institui
debent , maximè si seria & talia tractanda habes ,
à quibus ingens spirituale dependet emolumen-
tum , & ideo præviè , quodnam opportunius
sit tempus , explorandum , quale non est , dum
quasi cœcè & inconsultò domum intras , ejus-
que Dominus in gravi perturbatione vel labore ,
aut

aut studio multiplici, vel in grato est amicorum
consortio, quos ad festiva secum gaudia, aut
ludos domi celebrandos invitavit, à quibus non
nisi cum violentia & indignatione abstrahitur.
S.P.N. cùm teste Ribad. Principem aliquando
vitum accedere vellet, ejusque conveniendi co-
pia opportuna non fieret, 24. horas jejonus ex-
pectavit, ut bene gerendæ rei occasionem com-
modam, & opportunum allocutioni tempus
obtineret.

3tiò. Qui necdum scientiis requisitis ac vir-
tute velut alis instructi ante tempus & maturè
nimis evolant, amantque conversationes non-
dum aut vix Sacerdotio iniciati, sèpè pascuntur
vanâ gloriâ, & applausu hominum, citò effun-
dunt spiritum, quem collegerunt, assuescant ne-
gligere ea, quæ ex regula ordinéque diei præscri-
pto agere deberent, immò sœculares paulatim mo-
res induunt, constatque experientiâ multiplici,
excursiones istas præmaturas nobili fine non co-
ronari. S.P.N. dicebat, Scholasticos nostros,
quamdiu in studiis excentur, & necdum ter-
tiæ probationis annum egressi sunt, adhuc quasi
in hybernis delitescere, in quibus arma parare,
ac polire debeant, modumque pugnandi addi-
scere, ut postea in campum prodire, dæmonis-
que exercitum feliciter profligare possint. Stu-
pendum, quod Dux noster JESUS Christus tri-
ginta tantum tribus annis in mundo, quæ pro-
missus Messias, victurus, licet infinito zelo di-
vinæ gloriæ, & animarum salutis propagandæ
æstuans, licet infinitè sanctus, sapiens, omni-
scius,

scius, adeoque nullâ in his omnibus præparatione indigens; trigesimo tamen priùs ætatis suæ anno, & quidem præmisso quadraginta dierum jejunio ac recollectione in publicum prodiert, in viam salutis, prædicando, catechizando, homines perducturus, hōsque ipsos labores recollectione quasi aliquā, segregando se à turbis, orando in monte, interpolārit. Quid hæc designant, quid inclamat, quid ad oculum te docent aliud? quām ut non ante tempus ab Instituto tibi præfixum, nec nisi divite penu à scientia & virtute instructus, conversando cum hominibus, Operarium agas Apostolicum, laborib[us]que his, illis Apostolicis peractis, frequenter te per orationem, tuique ipsius [ubi errāris, quid emendandum habeas] inspectiōnem recolligas. Proprium conversationis & laborum Apostolicorum tempus advenit, postquam sat probatus ad vota ultima admissus es. Cur, amabo, in ordine ad professionem consuetudo à PP. Generalibus introducta & approbata obtinuit, ut expectandus sit trigesimus tertius ætatis annus expletus? an ut hominem te esse recolens multis à virtute ac scientia subsidiis indigum, tribus saltem ætatis annis seriūs in campum prodeas, quām Archistrategus & Dux compagniæ vel cohortis, cui transscriptures?



Modus